

gn 9-87

R-25763

INP

BIBLIOTECA DE LA UNIVERSITAT DE BARCELONA



0701453320

ELEMENTA.
HYGIENES
IN USUM ACADEMICUM.

BARCINONE:

APUD VIDUAM ET FILIOS D. ANTONII BRUSI.

ANNO 1826.

R. 67. 008

ELEMENATA

HYGIENES

IN USU ACADEMICUM

Quidquid praecipies , esto brevis , ut cito dicta
Percipient animi dociles , teneantque fideles.

HORAT. EPIST. AD PISON.

BVRGINONI:

ACADEMIA IN LIBROS D. ANTONII GRUSSI

ANNO 1800.

ELEMENTA HYGIES.



1. *Hygieia* graeca vox proprié significat sanitatem et apud Mythologos sanitatis Deam, latiné Hygeam dictam. Hinc *Hygiene* dicta est illa artis medicae disciplina, quae sanitatis servanda, adiuvanda eque praecepta tradit.
2. Hygiene idem ferme valet ac *diaeta*: medicorum enim rerum scriptores alii diaetae nomen strictè usurpant ad significandam cibi potusque rationem, latius alii ad totius victus regimen designandum, nempe ad regimen rerum omnium quae ad vivendum sunt homini necessariae aut apprimè utiles. Unde diaetetica medicina dicta est, quae victus ratione potissimum medetur, et hygienica ideo medicina etiam dicitur.
3. Hygiene igitur est illa medicinae pars quae salutem servare, à morbis cavere et vitam prorogare doceat. Si à morbis cavet, *Prophylaxis*, si vero vitam longiorem efficit, *Macrobiotice* solet nuncupari.
4. Cum vero triplici hoc munere hygienes *finis* sit semper sanitatis tutela, eius *objecum* est sanitas,

quae definiri potest vitae conditio, in qua homo actiones functionesque sibi proprias valet facilé et commodé exercere.

5. Hygiene dividitur in *privatam* et *publicam*; illa docet conservare sanitatem hominum individuē et seorsim consideratorum, haec autem, quae etiam *Medicina publica* vocatur, populorum, sive hominum in societate diversimodē degentium. Nunc de hygiene privatā tantum agetur.

6. Hominis sanitas inest primigeniā bonā constitutione et sustentatur recto rerum connaturalium usu. Hinc quibus ista sunt, erit sana longaque vita.

7. Primigeniae bonae constitutionis fundamenta et indicia sunt: 1.^o à conceptione. Conceptus ex parentibus sanis; vegetis; nullá congenitá vel haereditariá labe contaminatis; plenae aetatis; rarā, sed servidā, venere utentibus, matutino tempore post perfectam à somno coctionem, tempestate vernā imprimis et salubri. 2.^o à gestatione in utero. Mater praegnans benē sana; corpus satis exercens fortiter; mentem tranquillam habens, et unum modo foetum simul utero alens ex alimento salubri. 3.^o à nativitate. Partus post novem integros meses omnino absolutos à primo conceptu, maximē si ille incidit in mensem decembrem, ianuarium, vel februarium. 4.^o à modo quo corpus crescit. Lentum, et maximē aequabile, incrementum molis et virium usque ad vigesimum quintum, et ultra, annum aetatis. 5.^o ab habitu corporis. Thorax latus, amplus; abdomen gracile et compressum; humeri, brachia, femora, crura, firma, torosa, carnosa, hirsuta, densis setosisque pilis hirta; cranium mag-

num et capax, maximé ad occiput, non á parte facie apparente, sed fallaci specie, magno capite; cutis dura; caro multa; adeps parcior. 6.^o ab actionibus functionibusque. Respiratio lenta, magna, plena, facilis, aequabilis, cum minimá apparente mutatione organorum pneumaticorum; pulsus arteriarum latus, magnus, plenus, aequabilis, fortis, constans, nec per causas leviores facilé mutabilis; alvus tardior et sine incommodo sicca; urina parcior et cocta; sudor rarus; somnus profundus, aequalis, reficiens; voracitas cum digestione facili; tolerantia laborum; tarditas tam ingenii, quam motuum animi et corporis, constantia ad mutationes accidentes.

8. Quod veró corporis fabrica apta sit exercere suas actiones facilé, commodé et laeté, deprehenditur. 1.^o ipso sensuum experimento. 2.^o si signa adsunt modó exposita (n. 7.). 3.^o si partes solidae deprehenduntur esse validae, tenaces, elasticae, quoad materiem; si sunt preditae éa mole, formá, superficie, et connexae eo modo, situ, proportione, unde motus tam proprii, quam communes, tam in solidis, quam in fluidis, facillimi et expeditissimi fiant. 4.^o si visceris et organi cuiusque optima conditio singularis ea est, ut actio eius prompta, laeta, constanter, in suis effectis deprehendatur. 5.^o si nullum organum infirmum respectu aliorum observatur. 6.^o si ea est proinde natura humorum, quae motus intestinos, circulatorios, secretorios, nutrientes, excretorios, efficit sine inaequabilitate, et absque effectis huius. Et quidem signum evidentissimum quod docet hanc aequabilitatem adesse, est absentia pulsationum, tumorum, dolorum,

calorum, immobilitatis, insensibilitatis, in variis partibus variorum. 7.º si ea est ratio unionis inter mentem et corpus, unde moderati quidem, non verò vehementissimi, fiant affectus animi. 8.º si color est rosus et candidus, vel laeté nigrescens, calor moderatus, ad sensum levitas. 9.º si adest maxima vis resistendi omnibus morborum causis.

9. Sed maxima potentia superandi causam singularem huius illiusve morbi, sive venenatam, sive contagiosam, non notat semper sanitatem perfectissimam, et contra, ut certe in mōrbis contagiosis et in venenis claré patescit.

10. Perfectissima sanitas in homine raro contingit; indé sanitatis notio ad sat latam sphaeram extendenda est usque ad veram infirmitatem et morbum.

11. Deinde cum unicuique homini peculiaris et diversa sit corporis illa conditio quae sanitatem constituit, peculiaris quoque et diversa in diversissimis hominibus sit sanitas oportet, quae tamen perfecta erit dummodó cunctae vitae functiones intra naturae leges commodé perficiantur.

12. Homo cosmopolita est, seu orbis totius incola; praeclará enim ea conditione creatus est á summo Deo, ut prae caeteris animantium generibus sanam vitam degere, suamque progeniem agere queat et in aestuosis et in frigidissimis orbis terrarum plagis. In his tamen locis diversis homines, unius licet originis, varié temperatur ratione zonarum, climatum, plagarum, regionum, adeoque in iis diversimodè valent.

13. Homines quoque ad varium vitae genus pro

eorum ingenio et industriá alliciuntur á locorum naturá , in quibus inhabitant ; proinde plerumque venatores in venaticibus , piscatores in piscosis , pastores in pabulosis , agricolae in feracibus regionibus fiunt , artifices et mercatores in populosis et maritimis prae-
sertim civitatibus , in bené constitutis atque florenti-
bus sapientes . Quod certé vitae genus adeó diversum
homines efficiat diversimodé , utut perfecté , sanos neces-
se est .

14. Sanitas demum optimé servatur adiuvatur-
que recto usu *rерum connaturalium* , earum scilicet
quae ad vivendum sunt homini necessariae , aut ap-
primé utiles , eiusque naturae conformiores . Res istae
passim non naturales appellantur , veluti extra ho-
minis naturam positae , quae tamen usu vel abu-
su , bonae naturales aut malae contranaturales fieri
queunt .

15. Res connaturales , licet innumerae , ad sex
summa capita referri possunt , nempe 1.º ad circum-
fusas ; 2.º ad applicitas ; 3.º ad ingestas ; 4.º ad excre-
tas ; 5.º ad gestas ; 6.º ad perceptas .

DE CIRCUMFUSIS.

16. Circumfusae res , á quibus multa manant prin-
cipia in hominum sanitatem agentia , vel ad aërem ,
vel ad tellurem pertinent .

A E R.

17. Salubres et insalubres aëris atmosphaerici con-
ditiones ac vicissitudines disquarentibus eius pressio ,

impuritas, temperies, venti, lux, electricitas, meteora animadvertisenda sunt. Quae vero sint aëris natura et proprietates, quique in oeconomia animali usus iam in Physiologia traditum est.

18. Aër hominum corpus quaquaversus comprimit ratione ponderis, et elasticitatis praesertim. Aëris pondus, quod sustinet in planicie homo mediocris statura, est triginta trium millium et sexcentarum librarum secundum physicorum calculos. Aëris elasticitas densitati directe respondet et gravitatem aequiparat, adeo ut quaelibet aëris portio suá elasticitate totam perferat atmosphaericam columnam sibi incumbentem. Hoc in causá est, cur barometrum sive subdio, sive in cubiculis undique clausis eamdem servet altitudinem: sic igitur planè intelligimus, cur homines in cubiculis vel angustissimis ab imminuto aëris pondere minimè afficiantur et bene valeant, quasi in aper-
to aëre essent.

19. Inter quosdam fines aëris pressio imminuta vel aucta quasi innoxia bene valentibus succedit: ab aëre enim valde levi ob loci altitudinem supra maris planitiem, ut hydrargyrum barometri infra sexdecim pollices delapsum fuerit, vix aut ne vix quidem malè affici sanitatem observatum est in diversorum montium cacuminibus. Neque brevi dumtaxat tempore in eiusmodi levissimo aere sat commodè vivitur: nam quae-
dam istorum montium altæ regiones sunt incolis fre-
quentes; in quibusdam verò aliis regionibus altissi-
mis sanam vitam traduxere advenae per hebdomadas perque menses, uti testantur multi auctores.

20. Aërem verò valde densum et gravem absque

ullá etiam sanitatis noxá perferri posse aperté declarant sat bené valentes homines, qui ad sat longum temporis spatium in profundissimis fodiinis aliquid operis faciunt. Hic tamen monemus aërem, tum leviorē, tum graviorem, malē ferri ob subitam potius mutationem, quam ob gradatam et lentam; nemus etiam ponderosiorē potius quam leviorem aërem generatim tolerari.

21. In magis aut minus premente aëre sūt certi denique fines, quos ultra citraque homo nequit bene valere. Ultra enim aucta aëris pressio respirationem et sanguinis circuitum difficiles reddit; nimirum graviore aëre, magisque elasticō validius, quam pan est, constringitur totus corporis ambitus, humores ideo ad interiora detruduntur, sanguis properē petit pulmones, qui á magis elasticō aëre etiam penetrati magis quoque distenduntur, ita ut á nimia propulsione sanguinis copiā ipsi opprimantur et novae quasi inspirationi non sit locus, nec liberum pateat iter irruenti usque sanguini. Enī igitur quomodo difficilis evadat respiratio et sanguinis circuitus cum quadam oppressione ob nimis adauctam aëris presionem.

22. Ultrā vero imminuta aëris pressio respirationem, quae anhela fit, nec non sanguinis circuitionem sollicitat; insuper, tum solidorum, tum fluidorum expansioni ansam praebet adeo, ut disruptis aliquando teneroribus vasis oculorum, aurium, narium, aliarumque vel internarum partium haemorrhagiae eveniant, de quibus phoenomenis nos certiores facti sumus ab iis, qui nostrā aetate atmosphaerae spatia per vadunt aërostatici globi ope.

25. Si autem praecipue animadvertisatur, cordis vires intendi aëris gravitate et levitate remitti, atque in aëre rarefacto eius quantitatem quā indigent haudquam recipere pulmones qualibet inspiratione, sat patebit, minus a graviore aëre, quam a leviore periculum imminere. Hinc par est eruere, quibus debiles aut infirmi sunt pulmones, levem aërem minus convenire quam gravem.

24. Licet circumfusus aër ferme semper constet debitá proportione gaz oxygenii et azoti, utpote essentialibus elementis, eum tamen principiis heterogeneis commixtum habemus in atmosphaerā; siquidem flumina, stagna, paludes, vegetalia et animalia viventia, fodinae sulphureae, salinae et metallicae, eruptiones igneae, aliaque similia aërem suis emanationibus alterant in imā praecipue atmosphaerā, et ita mephiticum reddunt. Aër in habitationibus opportuné non renovatus quoque modis infici potest et noxius fit: complures enim homines, complura animalia respirationis ope oxygenium consumunt et gaz acido carbonico polluunt. Hoc evenit ex nimium abundis illuminationis lucernis, candelis, facibus, ex vinosá fermentatione, ex carbonis combustionē, nec non ex aliis pluribus evaporationibus: aërem etiam vitiant corpora multum olentia, uti aromata, flores, utpote quae vitale aëris elementum ab atmosphaericō aëre subripiunt, et ita illum eodem modo ac respiratio et combustio immutant. Immunditia, aegrotorum praesertim emanationes aërem inquinant; hinc in nosocomiis valde noxius et mortifer quandoque evadit.

25. Quidam autem novissimi chemici docent, aërem

semper continere debitam gaz oxygenii proportionem tum in theatris, tum in templis, tum in aliis conclusis locis, in quae et frequens populus convenit et abundae sunt flammae. Idcirco concludunt, illic assiduo reparari aëris oxygenii iacturam ab aëre libero atmosphaericō vel per minimas portarum fenestramque fissuras ingrediente: concludunt etiam, aërem iis in locis non proinde vitiari, iacturā gaz oxygenii et ab additione gaz carbonici, sed ab aliis non sat notis principiis, quae instrumentis chemicis minimē subiiciuntur. Hinc si quid oxygenii huic aëri deficere potest, adeo minimum est, ut illius insalubritas minus sit tribuenda oxygenii defectui, quam aliis non sat bene cognitis causis.

26. Aër impurus, sive per respirationem, sive per deglutitionem, sive per absorptionem, plus minusve sanitati obest, prout heterogenea aëris principia minus vel magis vitae viribus inimica sunt, et prout ista minus vel magis praestantes nostri corporis partes afficiunt.

27. Ad aëris impuritates depurgandas nonnulla conferunt, nimirum ventilationes in primis, ignis, aqua calcis ad absorbendum gaz acido-carbonicum aptissima, evaporationes acidi nitrici aut chlorii, rerum impurarum lotiones aut immersiones cum solutione plus minusve saturatā chlorureti oxydi sodii vel calcii. Acidum nitricum evolvetur ex partibus aequalibus nitratis potassae et acidi sulfurici in vase aut capsulā contentis. Chlorium exsurget ex mixtione unius partis peroxydi manganesii et quinque partium hydrochloratis sodae pulveratarum et in capsulā terreā reposita-

rum, quibus affundantur quatuor partes acidi sulfuri diluti, plus minusve, et maiori minorive agitacione, prout maior minorve vaporis quantitas requiratur: si capsula igni superponatur, promptior est vaporisatio. Tum acidi nitrici, tum chlorii vaporess cautiús et minori semper quantitate effundantur oportet in cubiculis aliisque locis quos homines inhabitent. Minime vero aërem expurgant, uti creditum est, aromatica suffimenta, neque nimis fidendum est fumigationibus quibuslibet in maximis spatiis aut in liberá atmosphaerá, maximé cum miasmata contagiosa aut alia abundé et continuó reproducuntur.

28. Ut scite et apposité sanitati tuendae aëris atmosphaericí temperiem accommodare pernoscamus, in homines caloris frigorisque actionem delibabimus, quorum ope in humano corpore physicae, chemicæ et vitales vicisitudines indesinenter producuntur. Vix tamen mente concipitur, physicas et chemicas vicissitudines in vivente homine produci à calore et frigore, quin prius utrumque suas exerat actiones in vitales vires, quae ideo istiusmodi vicissitudinibus semper praesunt.

29. Calor molecularum cohaerentiam minuit; propterea fluidorum rarefactioni favet, solidorum firmitati nocet, partium volumen auget. Ob caloris actionem contingere in humano corpore assiduas compositiones et resolutiones credibile est. Ista licet hucusque non sat aperté innotescant, videtur tamen ope evaporacionis superflua et noxia principia eliminari, nec non aquoso elemento sanguinem depauperari; quod forte in causá est, cur, aestuante temperie, frigidae aqua-

sae potionē appetantur et adiuvent, ardētis contra Falerni pocula aduersentur et noceant. Fervida tempe-
ries nimium vitae vires excitat, praeccōcēm facit vi-
tam, istamque citius consumit; si assidua est, segnes
inertesque homines reddit. Temperatus aēr vitae ac-
tiones functionesque exerit modicas, ex quo ut plu-
rimum corporis vigor et forma, animi virtus morum-
que suavitas promanant.

30. Frigus, utpote caloris defectus, molecularum cohaerentiam auget, ideoque fluidorum rarefactioni ob-
sistit, solidorum firmitati prodest, partium volumen
minuit. Inter algoris effectus recensendae proculdubio
sunt minus perfectae compositiones, minusque copio-
sae excretiones. Maximi vero momenti est in vitales
vires frigoris moderati efficacia; ipsas incitabiliiores,
functionesque ferē omnes alacriores reddit, vitalitatem
moderatur, servatque: hinc torosos, fortes, longae-
vosque homines facit. Intensius frigus summas noxas,
vitae taedium, non raro totius corporis stuporem,
soporem, ipsamque mortem placidē producit.

31. Ex subitā demum caloris et frigoris successione
multum detrimenti fit vitali oeconomiae. Si enim incles-
cens homo repente frigus excipiat, multō maiorem
indē noxam percipiet, quam si eidem frigori, vel al-
gorī pedetentim assuesceret: à caloris enim influxu
excitae vitae vires, actionesque adactae ob subitum
frigus protinus languent, proindeque non leves sani-
tatis turbae necessario suboriuntur. Si contra frigescens
subito calore corripiatur, multō maiorem noxam quo-
que percipiet, quam si calori ipsi, vel intensiori etiam
paulatim sensimque assuesceret; siquidem à frigoris

actione languentes aut torpidae quasi vitae vires actio-
nesque, sed incitabiliores factae necessarió nimium ex-
citantur á repentino calore, ideoque alterius generis
turbae in vitali oeconomia suscitantur. Ex dictis facilé
erui potest, quod esse oporteat in sanitatis tutelam ca-
loris frigorisque moderamen.

52. Anni tempestates, videlicet ver, aestas, autumnus
et hyems, non solum variá aëris temperie, sed aliis
etiam non sat fortasse perpensis causis in animalem
oeconomiam agunt. Ver mentem corporusque recreat et
ad venerem suscitat; aestas corporis vires elumbes,
animumque minus alacrem reddit; autumnus minus,
quam ver, nos reficit, et, quam aestas, enervat; hyems
minus valentes debilitat et causarios infestat. Attamen
immutabiles tempestatum successiones á sapientissimo
rerum omnium conditore sancitae terricolarum uni-
versitati generatim proficiunt. Inter causas non sat
fortasse perpensa, quarum ope variae anni tempestates
agunt in vitalem oeconomiam, praeter calorificam
temperiem, de quā sat diximus, amplius consideran-
dae nobis etiam videntur peculiares vitalis oecono-
miae dispositiones conditionesque á recedente tempes-
tate inductae, de quibus pauca delibabimus.

53. Ver mentem corporusque recreat, et ad venerem
suscitat universas viventium species. Quod certe non
solum tribuendum est veris temporibus; siquidem au-
tumni certa tempora obtinent temores vernalibus
prorsus respondentes, qui tamen id non admodum
praestant ac illi vernales. Hinc consequens est, aliam
exquirere causam peculiarium effectuum verna-
lium, quae videtur esse quedam dispositio oecono-

miae animalis inducta à recedente hyeme. Enim vero acris rigidaque hyems, ut traditum est, vitalitatem conservabat, auctiorem, exquisitiorem reddebat, proptereaque subsequentes veris tepores potiores succedunt ad illam excitandam, quam prorsus respondentes autumni tepores, quia hi contingunt vitali oeconomiae aliter dispositae à recedente aestate: nimirum vitalitas non est servata, non temperata, non incitabilior facta à recedente aestate, uti à recedente hyeme, sed è contrario defatigata minusque incitabilis; proinde vitalitas non tantum à tepidis autumni auris, quantum ab aequis veris teporibus exhilaratur.

34. Aestas corporis vires elumbes, animumque minus alacrem facit. Quod necessariò contingere debet ob assiduam aëris servidam à vere usque crescentem, quae servida et assidua atmosphaerae tempéries vitalitatem defatigat ac quasi ex parte consumit, uti iam tradidimus.

35. Autumnus minus quam aestas nos debilitat atque enervat ob mitiorem eius calorificam temperiem; minus etiam quam ver nos excitat, exhilarat, et reficit certè ob vitalis oeconomiae dispositionem à praeviā aestate productam, uti iam exposuimus. Oeconomia enim vitalis in autumno evadit defatigata ab assiduā atque usque crescente servidā aestatis tempérie, ideoque autumnales tepores licet vernalibus prorsus respondentes vitalem oeconomiam minus excitant, minusque animum exhilarant. Adde etiam, quod autumni tepores continuò decrescunt, vernales contra accrescunt.

36. Hyems minus valentes debilitat, causarios infestat,

quod non difficili negotio concipiemus, si animadver-
tamus calorem esse quiddam pernecessarii vitae exci-
tandae ac sustentandae; qui calor, quum hyeme ad-
modum deficiat, tunc ideo deficit quid pernecessarii
debili infirmaeque vitae excitandae, sustentandae. Mi-
nime vero valet quorumdam opinio, qui huic senten-
tiae continuo obiiciunt, hyemali tempore homines
fieri fortiores, meliore ciborum appetitione frui, uno
verbo melius valere. Quoniam in hac felici vitae condi-
tione non nisi quidam sunt robusti adolescentes aut
adolescentiae propiores, aut etiam nonnulli viri vali-
dissimam sanitatem gerentes, quibus omnibus opus est
ut sua vitalitas temperetur, servetur a moderatis vitae
stimulis, ad quos certe referendum est frigus; sed in
naturae ordine constanter observamus hyberno tem-
pore male sese habere minus valentes homines, senes-
centes, pessimè autem causarios, quibus imo morti-
fera hyems saepius quam ver, aestas et autumnus
succedit.

37. Quod demum ad anni temporum salubritatem at-
tinget, generatim aequales tempestates meliores sunt, sive
frigidae, sive calidae. Malae autem sunt quae maximè
variant. Huiusmodi inaequalitates praesertim a vere
et autumno feruntur. Per has igitur tempestates quis-
que diligentius suam valetudinem curet, ne haec
prospera tam facilè in adversam incidat, sive ob in-
temperies, sive ob subitas mutationes, quae tunc
temporis facile contingunt in nostris etiam Hispaniae
provinciis.

38. Venti fiunt ab aëre dimoto, et tunc aëris agitati,
perinde ac aquarum, undae irruunt. Venti cardinales

sunt orientalis, occidentalis, meridionalis, et septentrionalis; hi sunt generales seu constantes; aliique inter hos mediis, tum periodici, tum vagi in maritimis et terrestribus regionibus suscitantur et perflant venti, qui omnes quandoque adeo veloces et fortes excurrunt, ut sibilo, fragore, reboatu perterreant, et humi etiam homines prosternant.

39. Medicis solemne est ventos distinguere à tempeirie et à siccitate, vel humiditate. Venti aëris renovacionem praestant; per nivem vel grandinem excurrentes frigus deferunt, et contra à calidissimis regionibus provenientes calorem; varia etiam principia cum aere soluta vel commixta efferunt aut afferunt. Illi adeo varié utiles vel noxii contingere possunt; materiem perspirationis dissolvunt, et corporis habitum ut plurimum refrigerant; nimis frigidi et validi perspiracionem suppressendo morbos quamplures progignere queunt, et quidem frequentissimos alvi fluxus, oculis, et in quas irruunt, membranis mucosis magnopere infesti sunt; hinc creberrimi oculorum, aurium, narium, faucium, aëriferorum canalium, et pulmonum morbi.

40. Ex dictis facile eruitur, quantum ad tuendam valetudinem referat salubres et insalubres ventos pro loci natura, in quo degimus, probé novisse, ut illos omnibus modis admittamus, hos studiosissimé devitemus. Caveat autem, qui suae sponte est, ne vento omnium impetu, obye alias rationes nocituro obvius incedat, aut obsistat, eoque magis caveat, ne aut celeriter sub dio inambulans, aut equo insidens, aut cito vectus adversus eum nitatur; sed domi maneat, irruente vento, aut inter vallata et tuta loca se ipsum.

contineat. Cui vero eundi et redeundi necessitatem domestica , vel civilia officia atque negotia imponunt, curet ille ut spirantibus ventis terga obiiciat , os velet, viasque legat, quae ventorum spiramento minus patent, omniaque demum agat , quae futuram noxam averttere valent, eoque diligentius ille, cui tum suae propriae valetudinis, tum ventorum pernicie notitia suadet pericula.

41. Per medium atmosphaerae aërem grata suavisque effunditur lux , cuius ope mirabile prorsus emicat naturae theatrum , et cuius privatione nox obscurat omnia tenebris. A luce universum animantium et vegetantium genus innumera obtinet beneficia. Hominem praे caeteris animantibus luce indigere ad bonam valetudinem servandam quotidiana docet experientia, et fortasse lux vividior , qua rustici gaudent , non est ultima causa roboris , quo civibus praestant. Qui lumine solari destituuntur , languidores fiunt et pluribus peculiaribus morbis obnoxii sunt ; his optimum medicamen est lucis restitutio. Lux et bene afficit animum, ex quo iubar quasi effunditur ; moestus contrá hominem vitam trahit in tenebris.

42. Lux et tenebrae , non secus ac tempestates, ordinatis suis successionibus animali tamen prosunt oeconomiae; idcirco vitales modificationes á die nocteque inductae apprimē tribuendae sunt luci et tenebris, nec non variae aëris temperiei et humiditati , nempe rorū matutino et vespertino , quae singula varias mutationes in horam subeunt. In die vita alacrior est , animusque laetus vagatur ; in nocte corpus vel diurno opere faciendo fessum evadit , mensque meditationi aptior : partus in nocte frequentiores quam in die eve-

re non desunt qui credunt. A nimiā autem et diuturnā luce defatigantur homines, et ad oculorum morbos quam maximē obiciuntur. Ob nimias contrā, diuturnasque tenebras languescunt, pallescunt, et in morbos etiam incident; quod evenit iis, qui in tenebricoso carcere detinentur: illorum etiam oculis ac universae corporis constitutioni lux infestissima continget, nisi in primis moderatissima. Aliae tamen causae complures ad vires captivorum infringendas concurrunt.

45. Disputant philosophi, num sidera præter lumen, quam latē diffundunt aut reflectunt, quamdam aliam in mortales potestatem exerceant. Hanc alii exagerant, alii prorsus negant. Tertii controversiam transigunt admittentes quemdam astrorum influxum in humana corpora, quem influxum tametsi inexplicabiliē analogia et observatio nos docent. Enim vero complures morbi præsertim nervosi cum lunae phasibus consentire quotidie observantur: caeteroquin luna et sol certē agunt in atmosphaeram; hanc autem in homines agere quis neget?

44. Fluidum electricum cunctis naturae corporibus inest; sed non nisi turbatum suas exerit manifestas actiones, quae electricitatis nomine plerumque designantur; quare quum assiduae sint telluris et aëris mutationes, quae huius fluidi quietem commovent, assiduae etiam esse debent electricitatis vicissitudines inter tellurem, quae nos sustinet, et aërem, qui nos ambit et penetrat.

45. Nos igitur tellurem inter et atmosphaeram positi, proprio etiam electrico fluido donati, participes

quoque esse debemus istarum electricitatis vicissitudinum, quibus proinde nostra sanitas varié afficitur. Electricitatem in hominum valetudinem agere nemo dubitat; re enim verá sensibiores praesertim homines non raro à quodam taedio, tristitia, aliisve feré inexplicabilibus affectionibus, quas patiuntur, proximi futuri venti tempestatisque certum obtinent praesagium tunc cum fluidi electrici aequilibrium turbari incipit, quin nullae electricitatis actiones manifeste adhuc se prodant.

46. Sed quot et quibus modis in animalem oeconomiam electricitas agat, res est hucusque explicatu difficillima. Haud improbabile tamen videtur ob positivam electricitatem increscere, et ob negativam minuit vitæ virium et nervosi præcipue systematis incitamentum. Hos igitur in valetudinem malos electricitatis effectus, qui haud facile devitari possunt, quisque saltem propriā experientiā fretus sibi corrigat quiete, somno, ludo, deambulatione, convictu, societate, colloquiis, falerni poculis, aliisve similibus.

47. Meteora sunt phœnomēna atmosphaerica, quae à vaporibus praesertim originem ducunt. Distinguntur in aquæ et ignea, quae quum in aëre, de quo agimus occurrant, non abs re ducimus brevissimè dicere de iis, quae in hominum valetudinem insigne exerunt actiones. Aquea meteora, quae hic nos sumus pro re nostrâ consideraturi, sunt nebulae, nubes, pluvias, pruina, nix, grando, aqueus turbo.

48. Nebulae ob heterogeneas substantias varias, quas continent, varié insalubrem reddunt aërem; ob humidos vapores perspirationi cutanæae et pulmonali

nocent ; moerorem , tristitiam inferunt propter obscuritatem , quam producunt ; prout positivē vel negativē electricam faciunt atmosphaeram , deprimunt aut incitant vitae vires et nerveum systema praesertim.

49. Nubes insuper praeter effectus nebularum , dum congregantur et densantur , ut aquae guttas , inde pluviam efficiant , calorici sive ignis communis materiem exprimunt , effundunt , et sic calidiorem atmosphaeram reddunt.

50. Pluvia inquinatum aërem expurgat , et exhalatas antea materies ad terram revehit dilutas , et mutatas fortassé . Imber propterea pro variá soli exhalantis conditione differt . Hinc post pluvias serena et salubris fit atmosphaera . Ex dictis facilē est concipere pluviae utilitates et damna in hominum sanitatem .

51. Rorem physici triplicem distingunt , videlicet descendenter , ascenderem et perspirantem à plantis : pro triplici roris varietate minutissima plantarum semina , animalculorum ovula , et alia infinita cum rore commixta reperiuntur . Unde fit , ut quibusdam in locis , nempe in uliginosis , paludosis et similibus ros sit sanitati admodum nocuus .

52. Pruina , nix , grando , molestae evadunt sanitati , tum ob humiditatem , tum ob frigidam atmosphaerae temperiem , praesertim quae inducitur à subitanè liquefactione , tum ob caetera , quae cum nebulis , nubibus , rore et imbre habent communia . Grando insuper ob vim mechanicam valdopere hominibus officere potest .

53. Turbo aqueus (hispanicē manga) est pluvialis cylindrica columna , quae de nubeculâ labens ma-

ximo impetu , in quae incurrit , omnia ruit . Hic valde periculosus contingit nautis praecipue , qui ipsum disiiciunt vel bellici tormenti , vel ferreae cuspidis ictibus ; hoc enim modo dissipatur .

54. Ignea vero meteora sunt fulmen et caetera quae ad hoc pertinent , quaeque pro variis adiunctis vario etiam nomine distinguntur a physicis . Fulmen ab immani electrica scintilla non differt , et considerari potest tamquam ignis torrens , qui a nube in nubem , vel a nubibus in tellurem , vel a tellure in nubes irruit ; eius lux efficit fulgur , aer disiectus tonitru . Coeli fulminis vectores quasi , seu conductores fieri possunt elatae arbores , celsa aedificia , turresque praesertim , si acuminatae sint , et si in his tintinnabula pulsentur . Hinc manifestum est , quam periculosum sit , ingruente procella , ad arborum pedes , et sub elatarum aedium turriumque tutelam confugere , tintinnabula percutere , altisque aedificiis immorari ; tunc sub dio esse , vel humiliores habitare domunculas tuitora evadunt praesidia : melius enim est madefieri , quam coeli fulmine tangi .

55. Post ea , quae de meteoris et aqueis et igneis dicta sunt , proximum est admonere in aere vel siccissimo aliquid aquae semper contineri . Aer siccus generatim salubrior est ; nocet tamen iis , qui humido aeri adsueverunt , aut in pulmonum labem propendunt . Aer contra humidus maximopere nocet : in hoc enim aere corporis organa maximè externa debilitantur , quodammodo flaccescunt et actionem vitalem ad interiora revehunt , unde varia oriuntur mala ipsaque frequenter inflammations sub apparenti debilitatis specie .

56. Generatim humiditas aggravat caloris et frigoris atmosphaerici noxas, atque ea quae frigida est profundius quam calida in hominem agit; sed in utraque temperie morbos omnium maximè mortiferos producit. Inde patet quam sedulo ab humiditatis effectibus homo ubique sese caveat oportet.

57. Sicuti ampliorum lacuum et maris atmosphaeram esse terrestri atmosphaera magis humidam, minus puram, idcirco minus salubrem, opinio fuit; ita non abs re monemus, aërem et ampliori lacu et mari superincumbentem aequé saltem, ac terrestrem aërem, siccum, purum atque salubrem esse, prout nos docent et navigatorum observationes et Voltae celeberrimi physici experimenta in Lario lacu instituta.

58. Atmosphaerae conditiones, quas adumbravimus, physici et chemici variis instrumentis, barometro, thermometro, phometro, anemometro, hygrometro, eudiometro, &c., dimetiuntur; quorum sane cognitio et usus Medico etiam competit regionum et oppidorum, quos incolit, topographias medicas dignoscere volenti.

59. Paucis demum concludamus: aëris purus, serenus, siccus, moderatè gravis, temperatè calidus, à mari et à flumine spirans, ruralis, apricus, leni agitatus vento, et subitarum mutationum expers bonae valetudini proficit, secus plus minusve officit. Praecipites aëris mutationes semper et ubique in sanitatem admodum periculosae contingunt.

TELLÙS.

60. In tellure , quam colimus , consideranda sunt climata , solum , régiones , expositiones , mutationes ; nunc de singulis properé . Climata non ex geographiae , sed medicinae usu indicaturi monemus illa esse multiplices orbis terrarum plagas quinque Zonis , nempe torridá , duabus temperatis , et duabus frigidis sive glacialibus comprehensas , in quibus caloris temperies gradatim decrescit , et dies noctesque varié inaequales succedunt , prout plagae istae à lineá aequinoctiali distant et alterutri polo sunt propiores .

61. In climatibus diversis alia etiam consideranda occurunt , nimirum variae aëris conditiones , variae soli indoles , variae vegetales et animales species , vario etiam tum physico , tum morali charactere homines , quibus omnibus attendere debent sanitatis administrisive pro indigenis , sive pro advenis .

62. Soli nomine comprehendimus terrarum et aquarum naturam : ad terras spectant montes , colles , valles , planities , terrarum species , vegetalia , animalia ; ad aquas maria , flumina , lacus , stagna , paludes , fontes , quae omnia in hominum aut prosperam , aut adversam valetudinem conferre alibi innuimus .

63. Regiones sunt datis finibus circumscripti loci , qui quandoque diligentissimè perpendendi sunt pro peculiaribus eorum adjunctis sanitati faustis vel infastis .

64. Expositiones tum regionum , tum etiam habitationum variant , prout istae ad varia horizontis

puncta cardinalia in primis vergunt, prout plus minusve in atmosphaeram extolluntur, et prout in viciniis varias habent iam adumbratas circumfusarum rerum conditiones salubres vel insalubres.

65. Mutationes soli, regionum, expositionum contingunt aut naturales, aut artificiales; primae sunt à non sat aequé calculato forsan terrae globi circuitu, à vulcanis, à terraemotibus, ab inundationibus; artificiales ab agriculturā, à quibusdam artibus publicisque institutionibus. Variationes indē prognatae locorum salubritatem et insalubritatem inmutare valent.

66. Solum igitur, regiones, expositiones, mutationes, et quae ad haec pertinent, summopere sunt animadvertenda in aedificandis domibus, pagis, urbibus, in ponendis nosocomiis, coemeteriis, nec non in castris locandis, si istorum omnium salubritati prospicere velimus. Porro autem de illis praefatis omnibus ad veras endemicorum morborum enucleandas causas refert medicinam gerentium scrupulosissimē inquirere. Sed haec omnia uberiū in Hygiene publicā tractabuntur.

DE APPLICITIS.

67. Inter hominum corpori applicita alia sunt necessaria, alia utilia: ad prima referuntur vestes, cuchiilia; ad altera lotiones, balnea, frictiones, unctiones, et alia, quae munditiae aut elegantiae conferunt.

APPLICITA NECESSARIA.

68. In vestibus materies, color, forma, quantitas, mundities sunt consideranda. Vestes laneae 4



caloricum cohibentes calefaciunt; cuti applicitae blando stimulo hanc excitant, huiusque actionibus favent: prosunt propterea imbecillis, et iis praesertim, quorum valetudo facilé à mutatá temperie infirmatur; sunt tamen ponderosiores, et cutaneae perspirationis materiem, nec non miasmata atque contagia facilé bibunt ac retinent. Minus veró calefaciunt ex lino, cannabe, serico, gossipio, pelle, et duris tortisque pilis contextae vestes, eoque minus, si decolores sint: album enim minimé et nigrum maxime calefaciens est. Indumenta veró ex serico, pelle et laná, ceu substantiis idioelectricis, valent electricitatem ciere, praesertim si nudae cuti applicentur.

69. Tinctilis vestium materies, quippe quae á pluvia vel sudore dissolvi et cute absorberi potest, ceu fortasse nocua, non prorsus negligenda est in hygiene. Laxae vestes corporis incremento, humorum circuitui, caeterisque actionibus, functionibusque proficiunt; hinc vincturae sunt cautissimé adhibendae. Vestium forma saluti potius quam usui et elegantiae prospicere debet; vestes idcirco climatibus, regionibus, anni temporibus et vicissitudinibus, aetati, sexui, personarum negotiis sunt accommodandae et osseis corporis regionibus fulciendae.

70. Quot et quantis rationibus híc reprehendere possemus complures usu, non utilitate adhibitos vestiendi modos? Ad hos referemus fascias, quibus devincentur tenerrimi infantes non sine istorum incommodo, sanitatisque damno; sic nempe sanguinis, caeterorumque humorum cursus turbatur, nutritio praepeditur, musculi hebescunt, et alia, quae inde conse-

quuntur, quandoque eveniunt mala; illas ex balaenis loricas, quibus nimis adhuc praecingi solent nostrae adolescentulae adultaeque foeminae, nuptae et innuptae; siquidem istae loricae abdominis cavum arctant, pectoris formam invertunt, utrobique contentorum viscerum incrementa et munia non parum laedunt; laevium foeminarum levissimas vestes coas nuditati affines; brachia insuper, pectus, tergumque nuda alienae modestiae, nec non propriae sanitati nocentia; calceos angustos, acutos, qui digitos molestè constringunt, torquent etiam, eorum motus detinent, saepissimè clavis aut verrucis ansam praebere solent.

71. Vestium quantitas ea certè esse debet, quae corpus ab acriore frigore tutet, nec obruat. Perutile tamen existimamus à teneris corpus sensim frigori, caeteris coeli iniuriis, laboribusque adsuefacere, atque indurare: hoc enim quantae utilitatis sit, tum publicae, tum privatae, sat superque declarat ferrea illa corporis constitutio, qua olim Graeci et Romani variis coeli vicissitudinibus, omnigenisque laboribus assueti pollebant, quaque etiam nostro aevo fruuntur Angli, Suiones, Dani, Russae inclementi coelo ruditer educati.

72. Mundities in vestibus ea saltem sit, quae sordes omnes tum à nobis ipsis exhalatas, tum ad nos quolibet modo advectas valeat removere. Hinc subuculam, subligacula, femoralia, tibialia, pedalia frequenter mutare iuvat, maximèque etiam refert quantocvus deponere vestes quacumque de causa humefactas, et siccias induere.

73. Cubilia et instrumenta varia, in quibus somno quiescimus, corporis formis accommodare iuvat: qua-

propter ex crine, plumis, laná aptissimé conflantur culcitae, quae sat bene fulciuntur alteris aut ex siccis foliis, aut ex stramine conflatis. Culcitae ex laná et plurimis magis quam ex crine, stramine et foliis calefaciunt. Lodices, stragula, quaeque sint, pro anni tempore, rerum adiunctis á frigore muniant. Cubicula veró sint quam maximé salubria, aéri liberiori patentia, si fieri potest, orienti vel per aestate septentrioni, hyeme veró meridiei opposita, ita ut aér saepius hyberno etiam tempore in iis renovari queat.

APPLICITA UTILIA.

74. Ad tuendam adiuvandamque valetudinem magnopere conferunt balnea. Horum antiquissimus est usus: namque Chaldaeí, Aegyptii, Hebrei, Persae, Graeci, tum ad mundanda corpora, tum ad instaurandas vires, tum ad morbos profligandos, balneis certe utebantur, sicuti monumenta referunt. Primos imo homines, aestuante coeli temperie, in fluminibus et mari refrigerium exquisivisse prorsus credibile est. Balnea igitur, quae fama praedicat, quā latē patet terrarum orbis, sunt vel composita, vel simplicia. De his tantum dicere fert animus: in simplicibus balneis aquae communis, aut totum corpus, aut aliqua eius pars solummodo immergitur. Hinc balnea dicuntur universalia, vel partialia.

75. Hygienica balnea, quae aliquoties non nisi voluptifica sunt, distinguimus in tepida et subfrigida: prima intelligimus quorum temperies inter 28 et 20 gradum thermometri Reaumur concluditur; secunda quorum temperies intra 20 et 14. Accommodatam bal-

neorum temperieiem satius fortasse quam thermometro metimur nostri corporis sensu, siquidem balnea suscepta tuendae sanitatis aut percipiendi oblectamenti gratia nequaquam ingraté nos afficerē debent.

76. Tepida balnea, sive moderatē calida respiratio nem perinde morantur sub primā praesertim immersione, eoque magis in hominibus valde sensibilibus; pulsum inter initia plerumque accelerant, mox retardant; cutem leniunt, molliunt, laxant, eamque mundam faciunt; cutaneae perspirationi, caeterisque cutis functionibus favent; ad frequentes mictiones incitant; absorptae aquae ope sanguinem diluunt; naturales appetitus excitant; quandoque languorem quemdam, nec ingratum quidem, et mox suavem somnum conciliant; commodam exinde gratamque reddunt valetudinem, quae praesertim bonos balnearum effectus sat superque testatur. Incassum exquireremus, an roborantia, an infirmantia generatim sint tepida balnea; ista enim, prout sunt plus minusve tepida, diuturna et frequenter, prout varia est hominum valetudo atque coeli temperies, aliquid vigoris addunt vel admunt.

77. Subfrigidorum actionem, utilitatem et usum facile concipere est ex dictis: haec enim balnea non nisi propter aliquot inferiores caloris gradus differunt a tepidis.

78. Balnea sive tepida, sive subfrigida aestivo praecaeteris tempore nos iuvant, haec modō praecauti adhibeamus; in balneo non nisi peracta digestione, cessato sudore, quisque immergeatur, nec ultra horām persistat; balnei temperieem suo sensui usque accommodet; balneo egrediens aequam atmosphaeram subeat: nam

que statim à balneo homines in primis delicati non impuné aëris vicissitudines excipiunt.

79. Ad balnea partialia referuntur semicupia, manuluvia, pediluvia, caeterarumque partium lotiones; istorum salubres usus ex dictis sat comprehendere valemus. Praeterea humores viresque vitae in capite aliisque maximè superioribus partibus congestas derivant, revellunt.

80. Frictiones praestantissima sunt sanitatis praesidia, tum in compluribus infirmitatibus ac morbis, tum etiam in declinante boná valetudine. Propterea veré dolendum quod nostrá aetate in desuetudinem quasi abierint. Antiquae veró gentes tanti faciebant id praesidii ad tuendam adiuvandamque valetudinem, ut illis urentur et antea et post corporis exercitia atque gestiones, nec non post balnea. Fricandæ cuti inserviunt nudæ manus, tela, pannus, peniculum, &c. Hygienicas unctiones utpoté apud nos inusitatas silentio prætermittimus.

81. Praeter hucusque recensita, quae munditiei, nec non sanitati magnopere conferunt, huc etiam consideranda occurrit capillorum, barbae, unguium, oris que cura. Capillitium exsudat humorem unguinosum, qui facilè concrescit et in squamas coit noxae perspirationi noxias. Hinc molestæ prurigines, quandoque etiam capitis morbi, et facilis pediculorum origo in pueris speciatim, et adolescentulis. Hoc igitur saepè mundandum est aut lotionibus, aut peniculo, aut pectine, aut istis simul omnibus. Varius veré capillorum cultus ad usum potius quam ad hygienem pertinet. Hic tamen, ne istorum cultus sanitati adversetur, memi-

nisse non abs re erit , capillos , nec non caeteros pilos , ad calefaciendum à naturá esse tributos , et forsitan ad ignem electricum , quo prae caeteris pilosae partes indigent , cohibendum.

82. Barba de more nostro tondetur et subsecantur ungues : non alia est eorum cura. Os à pastu colluere bonum est : ad dentium cariem , calcareas concretiones et foetidum halitum praecavendum utilia sunt collutoria ex aquá et vino , vel ex aquá et aceto , modicae etiam frictiones iuvant , aut solo peniculo , aut coralii et carbonis pulverati ope.

83. En quaे salubria existimari debent cosmetica medicamina ; ea verò , quae ad faciem albo , rubicundo colore tingendam adhibentur conflata oxydis metallicis , uti plumbeis , mercurialibus , bismuthicis , tamquam ridicula , sed praesertim noxia proscribantur : vultus enim formas ocyus deturpant et gravibus cutis affectionibus originem praebent. Improbandae etiam sunt caeterae faciei lavationes , praeter aquam , lac , aliave simplicia.

DE INGESTIS.

84. Res ingestae sunt alimenta solida et fluida , seu cibus et potus.

CIBUS.

85. Providissima primum natura ante partum iam lac in maternis mammis praeparat infanti nascituro aptissimum alimentum. Ab infantia homo quidem pamphagus seu omnivorus est , nempe cibum capit ab animali , vegetali et minerali regno. Saluberrimam quidem cum animalibus cibis vegetalium coniunctionem credi-

mus. Minerale veró regnum ineptas ferme alendo suppeditat substantias; vix enim alit aqua: caeterae substantiae é minerali regno petitae condimento potius quam nutritioni inserviunt. Vegetalium amyacea, animalium gelatinosa substantia nutritioni est aptissima. In alimentis consideranda praesertim sunt qualitas, quantitas ac sumendi tempus.

86. Res ingestae censemur bonae, quae naturá aut arte conditae palatum et stomachum recreant et per digestionem corpori nostro facilé assimilantur. Ingestorum digestio et assimilatio eó facilius evenit, quó citiús illae physicis legibus cedunt et vitalibus digerentis organi viribus parent. Hinc liquidó patet, cur mineralia nutritioni plerumque inepta evadant; cur nonnullae vegetales et animales substantiae difficilis digestionis et assimilationis sint; cur demúm aegroti minimis, quandoque etiam nullis cibis indigeant.

87. De multiplicibus cibis, tum simplicibus, tum compositis, híc disserere noster haud fert animus, sed nonnulla generalia praecepta circa salubris cibi delectum et usum dumtaxat proponemus. Cibus ergo bonus saluberque erit, qui deligitur 1.º ex fructibus bene maturis, et molliusculis, dulcibus, acido-dulcibus, subamaris, vel aliquantulum acerbis; 2.º ex oleraceis recentioribus substantiis, nempe radicibus, caulibus, foliis, floribus; 3.º ex seminibus frumentariis, farinulentis, maturis, puris, siccatis, non nimis asservatis; 4.º ex leguminibus aut adhuc viridibus, aut maturis, et asservatis; 5.º ex carnis et succis animalis sani, adulti, non nimis pinguis, uti quadrupedum, avium, piscium, crustaceorum: hoc referemus lac et ova.

88. Condiuentia autem ex salibus, aromatibus petita ad provocandum edendi appetitum et ad incitandas ventriculi vires potius quam ad nutriendum concurrunt: sed uti alimentis non omnis incitandi virtus, sic condimentis non omnis nutriendi proprietas deest.

89. Cibi duri, siccii, et crassi prosunt illis, quibus sunt valida viscera et celeris digestio, uno verbo athletica valetudo; molles enim, humidi, tenues iis minus convenient, quasi frequentiorem mensam imperent: illos vero, quibus sunt viscera debilia, difficultis digestio, vita quieta, sedentaria, otiosa, iuvant cibi, sic dixerimus, arte vel natura simillimi chylo. Incalescente temperie, acido-dulcia et acida, vel subacida alimenta proficiunt praecipue robustis hominibus; frigescente, aromatico et calescientia minus validis speciatim.

90. Cibi autem non nisi bene mansi sunt deglutendi; nam si quis vorax aliter esum gerat, ventriculo plus negotii, quam ei natura imposuit, facesseret, ipsum defatigaret, et adversae valetudini occasionem praeberet. Nam vero tritum est adagium: prima digestio fit in ore.

91. Cum non omnibus quidem certa ciborum mensura ad sanitatis normam congruat, siquidem aetas, sexus, clima, vivendi genus, et innumera rerum adiuncta maiorem minoremve cibi copiam exposcunt, nimis edere dumtaxat dicemus illum, qui pro his rationibus cibi plus, quam ferre valent digerentes vires, sumit.

92. Qui autem a cibo nimis se abstinet, illius stomachus totumque corpus languescit; stomachus enim ob detractos assuetos stimulos auctiorem acquirit sensum, et corporis constitutio inde malè afficitur. Qui de-

mum, omissa ientaculo, et coená, prandet solummodo, sanitati minus consulit; siquidem melius est stomacho saepius pauca et moderata offerre quam raro eum ingenti sarciná onerare. In prandio et coená salubre est bibere, et quidem nec multum vinum, nec solam aquam: in digestionis opere mens sit libera, quieta et tristibus praecipue affectibus expers, nec defatigatum corpus.

POTUS.

93. Liquores potui idonei de more nostro sunt aqua, cerevisia, vinum, aquae ardentes, et coffeea, thea, chocolatum. Aqua sit frigida, limpida, levissima, inodora, insulsa; cerevisia sit bene fermentata et defoecata; non secus vinum; aquae ardentes, sive alchoolisati liquores sint bene cohobati, gratéque saccharo et aromate commixti; bonae qualitatis sint coffeea, thea et chocolatum; potiones autem ex theá et coffeea sint et recenter infusae. Nunc, quod istae sat notae potiones praestent, id brevi perstringimus.

94. Aquam potui aptissimam hominibus largitur natura; illa sitim potissimē extinguit, solidos cibos diluit, solvit, nimium incitas vitae vires moderatur. Hinc minus congruit debilibus, senibus et iis, quibus infirmus est stomachus.

95. Cerevisia ob saccharinam substantiam, acidum carbonicum et subamarum extractum egregie expedit ad vitae vires aliquantulum vellicandas, ad sitim extinguendam et digestionem promovendam, sed iis, quibus fractae sunt vires, non omnino convenit.

96. Vina genere, specie multiplicia moderato usu

quidem prosunt, abusu autem varié obsunt. Vinum generatim sacchariná substantiá, acido carbonico et tartarico, alchoole, adstringenti principio scatens generosam constituit potionem: vina saccharinis substaniis affluentiora magis palato sunt amica, satiusque nutritioni inserviunt; ea, quae acidis abundant, stomacho utplurimum officiunt, nec á pluribus noxis vacua sunt; quae vero scatent acido carbonico, gustum vellicant, mordent; quó plus alchoolis inest vinis, eó maxis haec calefaciunt, vitae vires erigunt, atque ebrietatem producunt; austera vina, scilicet, quae adstringentis principii quiddam ex uvis et racemis affatim servant, alvum coércent et stomachum potissimē firmare valent; nimis demum generosa et servida, sive et alchoole et adstringenti principio exuberantia extemplo etiam patatum exsurdant.

97. Vina igitur bona et salubria dici possunt, quae bene defoecata sunt et vetusta, quibusque dicta elementa aequabili ratione sunt commixta. Horum modicus usus sanitati prodest, et quidem maximē in proiectiore aetate. Infantes et adolescentuli vinum utplurimum haud expetunt, quasi naturae consilio; hos enim illud minimē iuvat. Quae nimia sit vini copia quisque per se sat facilē praesentire valet. Hic monere sufficiat, vinosissimos homines continuā nervei systematis incitatione mentis functionum turbas, malas digestiones, nervorum et muscularum distensiones tremoresque pati, et tandem hebescere.

98. Liquores alchoolisati, licet saccharo et aromate gratē commixti, sunt tamen ab ordinario potu proscribendi, uti nimis calefacentes et quammaximē noxii:

isti ceu incitātia quasi remēdia non raro puri adiuvant
senes, fessos milites, nautas, aurigas, &c.; gratas nec
non aliquantis per incitantes potionēs aquā commixti
efficiunt.

99. Quae e tostis coffeeae seminib⁹ et quae theae fo-
liis parantur calidae potionēs saccharo dein edulcatae,
tum ob fragrans subtilissimum oleum aethereum, tum
ob extractum subamarum, adstringens, stomacho sunt
gratae; digestionē iuvant, nerveum systema incitant,
perspirationē moyent, totumque corpus focillant;
minus tamen convenient maclentis et sanguineo aut
nervoso temperamento praeditis, qui postremi speciatim
ob istarum potionū abusum facillimē morbis à nimia
nervorum incitatione provenientibus obnoxii fiunt.

100. Ex cacao et saccharo confecta massa et aro-
matibus, vanillā plerumque aut cinnamomo condita seu
chocolatum, aquā solutum, coctum et calidum plerum-
que reficientem potionem constituit; etenim si nec
nimium aromatum contineat, nec minus habeat quam
decet, yaldē nutrit, innocue stimulat, stomachi et to-
tius corporis vires erigit, demulcet, alyum laxat, et non
paucis summiopere potio ista confert. Quibusdam tamen
stomachis inimica est forsitan ob id quod oleosum et
pingue cacao principium tunc liberius evadit.

101. Cavendum denique est, ne cibi et potionēs
praesertim vel saluberrimae vasis servatae de istis ali-
quid noxii aut venenati detrahant et sibi usurpent:
plumbei puta aquaeductus venenatam aquam reddere
possunt; cibi potusque omnes admodum noxii fiunt in
vasis plumbeis et cupreis servati. Sint ergo vasa, in qui-
bus excipiuntur vel servantur alimenta, figulina, vi-

treæ, stannæ, ferrea, &c.; quæ verò cuprea sunt, bono
stanneo ferrumine intrinsecus obducantur.

102. Copia cibi potusque cuique aequa est, si eam
refectionis, non torporis sensus consequitur. Alimen-
torum pro viribus temperantes generatim incolumes,
prosperi, longaeisque fiunt. Ex paucis dictis alimen-
torum delectus et usus ratio ad sanitatem tuendam
adiuvandamque faciliter eruitur. Haec autem aetati, sexui,
temperamento, climati, consuetudini, laboribus,
studiis aptetur prudenti semper consilio.

DE EXCRETIS.

103. Excreta sunt, quæ secundum naturæ leges e
corpo eliminantur. Excretiones ideo naturales nos hic
attendimus, quarum aliae ordinatae, aliae inordinatae
eveniunt: primæ, nemp̄ ordinatae, sunt vel continuae,
uti perspiratio cutanea et pulmonalis; vel hodiernæ,
uti foecum et lotii deiectiones; vel periodicae, uti cata-
menia: secundæ, inordinatae nimirum, sunt lochia,
spermatis eiusio, lacrymarum fluxus, salivæ expu-
tiones, lactatus. Quæ postremæ excretiones non nisi
in datis vitae adiunctis contingunt.

104. Sanitas non integra servatur, nisi in recto
excretionum modo, ita ut si in corpore retineatur quod
excerni debeat, aut excernatur quod retinendum sit,
corporis constitutio semper à firmâ valetudine declinet;
nam materies primi generis retentæ, licet etiam per
se bonae, attameni valetudini nocentes evadunt; alterius
generis excretæ aliquid saltem sanitati utilis subtrahunt.
Naturalibus excretionibus iam in physiologiâ traditis

nonnulla h̄ic subdemus de rectā earum ratione asse-
quendā.

105. Vests p̄ae caeteris accommodatae anni tem-
pestatibus coelique vicissitudinibus favent perspiratio-
ni, nec non excretionibus omnibus, hasque incitant
potus excitantes, corporis exercitia, frictiones, &c. Si
nimium contrá adaucta fuerit perspiratio, moderanda
est quiete, leviorum indumentorum usu, atque refri-
gerantibus potionibus.

106. Quanta sanitatis pernicies suppressam perspi-
rationem consequatur, res est extra dubitationis aleam.
Non tamen abs re inquiritur, utrum suppressa tantae
utilitatis functio ob retentas materies, an ob malē af-
fectas proprietates vitales, à quarum laesione primitūs
perspiratio supprimitur, sanitati officiat et complura
mala progignat. Nihil quasi coniunctos utriusque lae-
sionis modos admittere vetat, si animo perpendamus
reapere non supprimi perspirationem, quin in primis
malē afficiantur vitae vires, quorum laesio conse-
quentibus etiam malis ansam praebere valet; et reape-
re non retineri perspirationis materies secundum pro-
vidissimae naturae leges excernendas, ceu superfluas
aut noxias, quin ab istis vitales etiam proprietates ma-
gis magisque laedantur, proindeque complura quoque
exoriantur mala: ex quo apertē liquet à suppressā per-
spiratione secundam valetudinem in adversam proximē
abire et multa mala indē suboriri ob utrosque coniunc-
tos laesionis modos, nempē et ob male affectas primi-
tūs vitae proprietates et ob retentas perspirationis ma-
teries. Profusa verō cutis perspiratio, sudor videlicet ob
nimiam subductam aquam humores cogit, caeteras se-

cretiones minuit, corpus elumbat, multimodis uno verbo sanitatem laedit. Insita demum sudandi consuetudo vel incommodis et malis à suppressá perspiratio-ne provenientibus facillimas occasiones praebet.

107. Foecum et lotii excretionibus semper est obsequendum, quoniam mala ab istis retentis provenientia sat comperta habemus: non enim desunt exempla eorum qui, diutius retentis faecibus alvinis, in graves colicas, quandoque etiam prompté faliferas abierunt; solos imo flatus continere non vacat periculo. Alvi au-tem excretiones promoventur à corporis exercitationibus, et praesertim à deambulatione, nec non à laxantibus cibis. Non minus gravia incommoda progignit retenta urina, quam revocare valent fatus et tepida balnea, ni tamen aliquod obsit materiale praepedi-mentum.

108. Normalia catamenia sunt bonae foeminarum valetudinis mensura: quasdam tamen mulieres novimus admodum floridas, formosas, sanguineo temperamento donatas, sed infaecundas, et caeteroquin sanissimas, in quibus illa usque desiderata fuerunt. Ut frigus, desidia, inedia, animi pathemata quaecumque, et tristia praecipue menstruum sanguinis fluxum aut retinere aut supprimere valent; sic calida pediluvia, balnea, labores, deambulationes, equitationes, opimae hilaresque mensae illum revocant, promovent, nec non profusiorem aequó aliquoties reddunt. Ista causae omnes vel lochia adaugere, minuere et supprimere sunt potis.

109. Spermatis secretionem et excretionem incitare nonnisi ad aptos usus, numquam ad effraenam libi-

dinem religio sit: non enim à retento spermate tot tantaeque proficiscuntur sanitatis noxae, quas licentiosorum turba tam inverecundé dictitat. Imo certissimum videtur, aliquid hujus retenti humoris in bene valentibus hominibus continuo absorberi atque resumi ad virile robur servandum augendumque. Si quid mali forsitan ob retentum sperma contingere potest, id erit testium et vasorum spermaticorum dolor atque tumor à nimis incitatá illius humoris secretione potius, quam à solá retentione producti: siquidem affluentiori spermati dare viam scit providissima natura, insontibus nobis. E contrario autem hominibus assatim sperma profundentibus certe perdita valetudo succedit.

110. Lacrymarum fluxus, nempé fletus, gaudio saepiusque moestitiá animum nimis commoventibus cietur: proinde, quoad causa potest, bené aut malé valetudinem afficiunt lacrymae; sed tristium etiam lacrymarum diluvies animum moerore gravatum quandoque levat, exonerat, atque expletur lacrymis, egeriturque dolor. Profusae demum lacrymae oculos etiam labefactare valent.

111. Nimiae expuitions noxiae evadunt per digestionis praecipue periodum, quoniam ad istam perficiendam functionem non parum conductit salivae deglutitio. Hinc qui malá consuetudine salivam assidue excreant, ciborum appetitum amittunt et in marcorem coniiciuntur. Non ita dicendum est de tracheae muco, quem haud aliter ac narum mucum expellere et decet et iuvat.

112. Secundum naturae nutum, imo consilium, matribus est salubre officium lactandi, nec non om-

nimodé curandi infantes , pueros , qui ab ipsis procreati sunt ; suis enim non vacat incommodis atque morbis retentum lac ; suis etiam utilitatibus hinc et illinc abundat ipsa puerorum cultura.

DE GESTIS.

113. Huc referemus vigiliam et somnum , motum et quietem ; quae omnia sicuti salubria aut insalubria evadere possunt pro vario illa adhibendi modo , ita quomodo sunt dirigenda in sanitatis normam scrutari non parum refert.

114. Vigilia intra datos modos et fines exercita homini sit pro sexu , temperamento , aetate , consuetudine , &c. ; protracta vigilia corpus mentemque defatigat , hinc somnus necessarió consequitur ; immodica verò valetudinem facit ingravescerem et intellectus præ caeteris facultates turbat , unde abnormes perceptiones , hallucinationes , vertigines , deliramenta et insomnia accidunt.

115. Ut protracta vigilia corpus animumque lassat , sic somnus reficit ; hunc conciliant tenebrae , ideo natura noctem somno assignasse videtur : debilibus tamen , et defatigatis vel salubres sunt non multum protracti somni pomeridiani præcipue in calidis plagis et tempestatibus ; nocturni verò somni ad novem circiter horas protrahi queunt ; his pueri , adolescentuli , foeminae et studio dediti viri magis indulgeant , nec non debiles homines . Nimiū autem protractus somnus animales vires obtundit . In somno corpus decumbat commodum , omnique vinculo relaxatum .

116. Bene cessisse somnum testantur animi vivacitas et corporis refectione, quas sponte et benè expergiti homines experiuntur: nec silentio praetermittimus, optimum esse summo mane surgere, quum aurora laboribus, studiis sit amica, curas levet, et animi vigorem hilaritatemque pariat ac servet, nec non corporis sanitatem magis magisque confirmet.

117. Motus distinguuntur in generales et partiales. Primi sunt vel activi, ut deambulatio, cursus, chorea, saltatio, gesticulatio, natatio, pugillatio, &c.; vel passivi, ut gestationes, vectiones, navigationes; vel mixti, ut equitationes, aurigationes. Alteri, partiales videlicet, sunt semper activi, ut cantatio, sonitus, et nonnulla ludorum genera, puta chartarum, scruporum, taxillorum, latrunculorum, &c.

118. Generales motus quam partiales, activi quam passivi utiliores sunt benevolentibus: huiusmodi motibus seu exercitationibus insuper addendum est aliquid oblectationis, quam quique ex ipsis producere valet pro vario hominum ingenio.

119. Convenientia corporis exercitia sive motus generaliter functionibus omnibus favent, corporis constitutionem roborant ac firmant, animique vim augent, et alacriorem faciunt: proinde lenes dimotiones accommodantur infantibus; lusus crebri potius quam validi motus pueris; diuturniora ac magis laboriosa exercitia adolescentibus; moderati motus viris, moderatoresque senibus. Juvat quoque remissius corpus exercere aestate quam caeteris anni temporibus; aliquid tamen excipiendum est pro corporis constitutione atque consuetudine. Inconvenientia exercitia, nimirum quae corpus

mentemque desatigant, primam vitae viribus labem inferunt et, quod inde sequitur, sanitatis detrimentum producunt.

120. Corporis exercitationum utilitates et privatas et publicas graeca vetustas praesertim novit. Hinc publicos gymnasticos ludos ad corroborandum, non secus ac ad erudiendum literarios illa fortasse primum constituit. Nec muliebris quidem sexus ab eis corporis exercitationibus excipiebatur. Nunc tamen, post nimis diuturnam oblivionem in optimis Europae gymnasiis saluberrimus Gymnastices usus plurimam sibi partem vindicat.

121. Quies est ad motum, uti somnus ad vigiliam, sed non nisi in somno perfecta quies, nempe corporis animique laborum remissio. Sanitati magnoperé prouunt vigilia et somnus, motus et quies ad indicatas leges alternata; nimia veró quies muscularum in primis contractilitatem hebetat, quia non exercitiae vitae vires languescunt, et in articulis praesertim humorum stases producit. Unde non tam raro est homines videre propter ambulationis desuetudinem desidiosos fieri, aut potius gressibus quasi ineptos; minus autem raro alteros est observare, qui ob motuum parsimoniam laxi, pallentes, adipe farcti, et lenti evadunt; ob nimiam quietem sanguis ipse tardius apprimé movetur in venoso syste- mate, unde secretiones imperfectae, excretiones tardae ac detentae, digestiones malae, totumque corpus infir- mum. Si veró valde occupatis hominibus quod velint non licet, quod possunt velint, omnemque exercitan di corporis opportunitatem seduló arripiant.

122. Licet ad erectum statum nos creaverit summ us

mundi Opifex , ille tamen status nimirum protractus bonae valetudini adversatur : tunc enim sanguis pondere deorsum premens crurum et pedum vasa implet et tumefacit ; ille autem sic in supernis partibus deficiens inania quasi pectoris capitisque viscera facit, non sine sanitatis pernicie , ex quo et ex desatigatis musculis quiescendi sedibus necessitas succedit. In sessionibus homines sint commodi , caveantque ne abdomen pectusque premantur praesertim opere faciendo.

DE PERCEPTIS.

123. Inter res animo perceptas accensemus animi affectus et functiones mentis. Nos haud amplissima tantae doctrinae spatia dimetiemur ; sed rem primoribus labiis attingemus , quoad sanitati prosunt aut obsunt tum animi affectus , tum mentis functiones, quae multo magis quam hominum vulgus videt , in valetudinem quidem possunt.

124. Homo sentiendi facultate ad sui conservacionem praeditus iucundos et molestos sensus animadvertit adeo , ut voluptatis et doloris ope ei tributum sit utilia assequi , damnsa effugere ; propterea nemo inficias ibit , voluptatem esse sanitati amicam , dolorem inimicum. Ex quo fit ut faciliter animi affectuum mentisque functionum salubritas vel insalubritas inferri possit.

125. Cuncti animae affectus a voluptate aut dolore diminant , iisdemque continentur. Hinc qui a primis , uti gaudium , amor , spes , desiderium , &c. intra datos

modos et fines sanitati proficiunt; qui veró ab altero fluunt, nempé odium, moestitia, terror, metus, &c. magis minusve eidem officiunt. Ratione igitur, quá excellimus, animi affectus dirigamus et moderemur, ne isti in perturbationes abeant.

126. Inter animi affectus alii aliis sunt vehementiores in utroque genere, nempe sive á voluptate, si- ve á dolore dimanent; alii rursus in utroque etiam genere excitant vitae vires, alii deprimunt; ad excitantes animi affectus aut pathemata referendum est gaudium, amor, spes, odium, ira, &c.; ad deprimentes moeror, metus, terror, desperatio, &c. Vehementiora ista pathemata quando in perturbationes abeunt, et maximé si inopinatos nos percellunt, summpere officiunt animum ita obsidendo, ut illicó sensus omnes quasi sufflaminentur, corpus exanimetur, et vera repentina mors etiam insequatur.

127. Non secus ac animi affectus mentis functiones, utpoté iucundae sanitatem iuvant, et utpoté ingratiae laedunt. Nos enim nostris studiis lubenter susceptis, nostrá eruditione, nostris bené excogitatis et partis magnopere fruimur atque gaudemus, veluti optimo animi pabulo: nos contrá nostrá inscitiá, imperitiá, nostroque errore moeremus. Si ergo nescire, falli, errare indecens atque molestum est; si contrá recté sapere, rerum cognoscere causas rationesque gliosum et utile, illa horreamus, haec assequamur. Intellectús tamen functiones, videlicet perceptio, imaginatio, memoria, attentio, contemplatio, reflexio, &c., nimis diuturnae secundam animi corporisque valetudinem infirmare valent, istis tamen variatis quandoque re-

ficimur, ab his demum animum remittere, solatioque dare fas est.

128. Post quae de gestis et perceptis delibavimus primoribus labiis, considerandae occurrerent artes liberales illiberalesque, officia, occupationes, studia, in quarum rerum universitate ordines civium quidem omnes continentur; sed hygieni publicae relinquimus monita, quae bonae cuiusvis ordinis civium valetudini proficere valeant.

129. Nunc tamen perpaucā de studiorum ratione trademus, quae et aetati et ingenio aequabilis sanitatem potius iuvat quam laedit, contra quod nonnulli studiorum obtrectatores affirmare audent, quin ideo studia quandoque nocere possint. Primo quidem noxia est animi contentio, quae admodum ingrata cedit; nimis abstractarum rerum studia mentem vexant et torquent; si à nimis diuturno studio incitatur cerebrum, caeterorum viscerum functiones infirmantur, et prae caeteris digestio. Antelucana studia, experientia et ratione duce, melius quam vespertina et nocturna succedunt; post epulas demum quam maximē insalubria evadunt studia; tunc enim digestioni potius vacare quam oculos mentemque intendere iuvat.

REGULAE GENERALES.

150. Praeter speciales has regulas ex sex rebus con-naturalibus depromptas, nonnullae quoque tradendae sunt regulae generales, quae ad salutem servandam adiu-vandamque, morbos praecavendos, vitamque ad sum-mum senium perducendam cunctis hominibus plus mi-nus conferant et prudenti semper consilio adhibeantur.

151. Sanus homo, qui et bene valet et sua sponte est, nullis obligare se legibus debet, nec medico egere; persaepe bene mane surgere et, si necessitas fuerit, re-dormire; longis autem diebus meridiari, et, ubi exper-rectus sit, paulum intermittere. Hoc oportet varium ha-bere vitae genus: modo ruri esse, modo in urbe, saepius-que in agro, navigare, venari, quiescere interdum, sed frequenter se exercere. Prodest etiam aestivo tempore balneis uti; nullum cibi genus fugere, quo populus utatur; interdum in convictu esse, interdum ab eo se retrahere; interdum aliis, quae sunt, oblectationis ge-neribus se modice recreare, et nimias semper concu-piscentias coercere.

152. At imbecillis, iisque, quos interdiu vel domes-tica vel civilia officia detinent (quo in numero magna pars urbanorum, omnesque pené cupidi literarum sunt), nec non artificibus omnibus, pretiosisque agricolis ob-servatio maior necessaria est, ut quod vel corporis, vel loci, vel studii, vel laboris ratio detrahit, cura res-tituat.

153. Cum vero sanitas omnibus numeris absoluta

numquam requiri possit, ideo anxié nimis quaerenda non est; nec curiosior diaeta in vitâ communi facilé observari potest. Si enim regulas diaetae cum actionibus nostris consuetis quotidie comparare et de his semper cogitare vellemus, meticulosi saepius plus detrimenti quam commodi corpori nostro induceremus.

134. Licet rebus consuetis delectetur et ab iis etiam adiuvetur humana natura, consuetudo tamen non semper excusat commissos in diaetâ errores; ea enim, quae non subitô nocent, lenté tamen et successivé damnum corpori inferunt. Quilibet igitur eam sequatur regulam, ut optimas consuetudines, quae corpus iuvant, suas faciat atque retineat, exitiosas veró fugiat atque emendet.

135. Non subitô tamen á rebus consuetis discedendum est, cum ipsa cōsuetudo ferē altera natura efficiatur; subita proinde mutatio in nova est ubique et semper quammaximē periculosa, licet ex malis vulgō habitis in bona putata transiverit. Lento igitur gressu pristini vivendi mores derelinquendi et ad alios prioribus contrarios transeundum est.

136. Nec sanitatem medicamentis continuo sumptis conservare, nec morbos futuros iisdem avertere velle convenit, in primis cum moderamen rerum conaturalium tutâ et quae sufficiunt subministret remedia; corpora enim medicamentis assueta, urgente morbo, frustra saepius ab iis auxilia cupiunt: et in hoc quidem sensu medicé vivere est pessimé vivere.

137. Quod si quis ex uno capite contra regulas hygienicas peccare cogitur, in aliis observandis eodem illo tempore sedulus magis sit, quo causae morborum per priorem errorem inductae corrigantur, vel debi-

liores reddantur ab inde. Interdum etiam errorem priori contrarium committere licet, quod tamen prudenti solūm consilio et cum debitā virium corporis aestimatione fieri debet. Ii qui regulas diaetae strictius servant, ab uno et leviori tantum commisso errore plus saepius laeduntur, quam qui incurii magis ex consuetudine crebrius in diaetā hallucinantur.

138. Sanis omnia sana sunt. In quibus enim corporibus vis vitae vegeta observatur, ea etiam, quae aliā ex parte nociva videntur, vel validā actione viscerum in usus corporis convertunt, vel, si prorsus noxia sunt, per secrētiones faciles iterum eliminant. Cave tamen, ne vitae viribus nimium tribuas et saepius pecando easdem infringas.

139. In sanitate probē aestimanda et convenientibus illi hygienicis regulis praescribendis, nativitatis, educationis, aetatis, vitae generis, sexus, temperamenti, climatis et anni temporis ratio habenda est: ex iis enim simul pensitatis optimam vitae et laborum suscipiendo rum normam confidere possunt medici. Omnibus enim non omnia convenient, sed, uti cuilibet est propria sanitas, sic singulis etiam hominibus propriae sanitatis regulae servandae sunt.

140. Quae sanitatem servant adiuvantque, ipsa morbos arcent et longaevitatem inducunt. Si vero morborum adfuturorum signa iam deprehenduntur prima, tunc ipsi praecaventur, si statim occurritur eorum causis.

141. Primaria vero remedia prophylactica morborum brevi oriturorum sunt profecto haec: abstinentia, quies, potus aquae calidae, deinde blandus et ali-